DE ELLEBORO NIGRO ADVLTERINO. CAP. CV.

NOMINA.

Elleborus niger adulterinus cur dictus.

HERBAM hanc cuius picturam damus non esse uerum Elleborum facilè constabit, si eam ad descriptionẽ referas. Verum quum magna pars hodie medicorum pro Elleboro nigro, neq; tamen citra summam efficacitatem, utatur, adulterinum nigrum Elleborum appellare placuit. Germanis Christwurtz dicitur, non alio sanè nomine quàm quod circa seruatoris nostri CHRISTI natalem diem flores, modo calido in loco sita sit herba, producat. Cæterum etsi genuinus Elleborus non sit, tamen non admodum ab illo abludit descriptio, nec uiribus multo inferior est, ut in alterius inopia huius usus citra errorem esse possit.

GENERA.

Duo eius esse genera deprehendimus. Vnum quod officinæ hodie Elleborum nigrum, Germani uerò Christwurtz/ ut diximus, nominant. Nos certioris discriminis causa, Elleborum nigrum adulterinum hortensem appellauimus, quod scilicet sua sponte, & nisi plantatum sit, in hortis non proueniat. *Hortensis.* Alterum quod sylue- stre sit, & sponte sua nascitur, Elleborum nigrum adulterinum sylue*Syluestris.* stremnuncupauimus. Germanis Leüßkraut dicitur.

FORMA.

Hortensis caulem, uel potius pediculum, habet oblongum & folijs nud um, nisi in summo, ubi folia oblonga, angusta, pluribusq; diuisuris incisa, atqueadeò in ambitu serrata producit. Florem habet herbacei coloris. Radices tenues, nigras, ueluti à capitulo ceparum pendentes. Syluestris priori non admodum dissimilis est, nisi quia caulem obtinet crassiorem, foliaq; minora. Florem etiam etsi herbaceũ habeat, tamen è medio eius, folliculi, aut siliquæ duæ aut tres, in quibus semen est, exeunt.

LOCVS.

D Hortensis, ut dictum est, passim in hortis nunc prouenit: syluestris in montibus asperis, lapidosis ac sublimibus.

TEMPVS.

Hortensis hyeme, circa CHRISTI nimirum natalem, ut comprehensum est, floret. Syluestris autem uere & initio æstatis.

TEMPERAMENTVM.

Quum experientia testetur Elleborum nigrum adulterinum, potissimũ hortensem, eandem quam genuinus habere facultatẽ, idem etiam obtineat temperamentum necesse est. Calidus itaq; & siccus in tertio ordine erit.

VIRES.

Purgat perinde atq; genuinus inferiorem uentrem, pituitam & flauam bilem ducens. Prodest comitiali morbo laborantibus, melancholicis, insanientibus, articulorum doloribus correptis, & resolutis. Menses in posso subditus trahit. Fœtus necat. Porrò cum illis etiam insit extergendi uis, alphos, impetigines, scabiem, leprasq; curant. Erodentibus medicamentis cõmiscentur. Ideoq; syluestris non temerè, quod pediculos interficiat, Leüßkraut à Germanis meis dicitur. Non uero pediculos tantum, uerum etiam oues & alia animantia comestus necat.

HELXINE

LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIB